

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Oratio De Triplici Fine In Scholis Perpetuo Conivngendo

Ibbeken, Georg Christian

Oldenburgi, [1738?]

VD18 90680693

urn:nbn:de:gbv:45:1-19880

ORATIO
DE
TRIPLICI FINE IN SCHOLIS
PERPETVO CONIVNGENDO

QVA

CONRECTORIS
IN
SCHOLA OLDENBURGENSI

MVNVS

CLEMENTISSIME

DEMANDATVM


D. XIX. SEPTEMB. A.O. R. MDCCXXXVIII.

PVBLICE AVSPICATVS EST

M. GEORG. CHRISTIAN. IBBEKEN
OLDENBURGENSIS.

Oldenburgi Typis I.C. Götien, Reg. Dan. priu. Typogr.





OLDENBURG
GEORG CHRIST
PAPPE
D. XIX SELTEN
KLEIN
SCHOLA OLD
CORR
FERT VO
TRITICI
ORATI





Molestissimas esse muneris Scholastici partes, & nullius tamen ferme pretii labores istos vulgo haberi, trita satis est ac obuia vbiuis querela; nec vero omni fundamento penitus destituta. Variæ indolis variæque voluntatis iuvenes ad solidam omnes rerum linguarumque notitiam perducere, pietate porro probatisque moribus omnes formare, nec tenue corporis robur, nec vulgarem animi præsentiam postulat. Loco vero quam humili quamque abiecto, qui in hac arena strenue defudant, a quam plurimis habeantur, non est quod pluribus enarrem: Inter omnes hoc dudum constat.

Ferri quidem æquo animo onus, Iperni fortiter potest contemptus, si, qua par est, lege hancce tibi scias prouinciam commendatam, si, quam proficuum & iuventuti & vniuersæ reipublicæ, quam denique gratam ipsi summo numini operam præstes, iusta tecum ponderes

res lance. Nullus tamen itidem dubito, quin & leuari multum molestia, & auerti longius, nisi omnium, prudentiorum certe, contemptus possit, si & dignum studiis Scholasticis scopum proponas, & dignis scopum nunquam non petas telis.

Ad tria potissimum, vti videtur, nunquam negligenda, nunquam à se inuicem disiungenda, omnes omnium, qui in scholis versantur, conuersos decet esse conatus.

PIETATEM, puta, DOCTRINAM atque ELEGANTIAM MORVM. Media, quibus huc penetrandum, multa à multis, pro diuersis doctorum studiis commendantur: nec pro mira formandarum mentium varietate eadem vbiuis constitui possunt.

Neque vero is ego sum, AVDITORES, qui tantum mihi vel scientiæ vel auctoritatis tribuere ausim, vt, quæ hic vitanda deuia, quæ ceteris præferendæ semitæ sint, aliis enarrare sustineam. Mearum saltem esse partium duxi, vt quisnam mihi præcipue, in suscepto, post Reuerendi MVLLERI, optime profecto de Schola nostra promeriti, ad Bockhornenses discessum, Scholastico munere, quisnam mihi, inquam, præcipue scopus diligendus, quaque via incedendum sit, ipse mecum perpendam, & an recte sibi consent, quas animo concepi regulas, limatiori Vestræ, at nec minus benignæ, AVDITORES, ceusuræ submittam.

Bona igitur Vestra venia, de TRIPLICI FINE IN SCHOLIS PERPETVO CONIVNGENDO paucis pro virili exponere mihi liceat, rogo. Vos inquam, VIRI PERILLVSTRES, ILLVSTRES, MAGNIFICE, GENEROSISSIMI, MAXIMUM REVERENDE, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI, PRÆNOBILISSIMI, CLARISSIMI, VOSQUE omnes, AVDITORES O. O. HONORATISSIMI, TVque denique Ornatissima Iuuenum, Corona, Vos omnes, vt Vestra gratia, Vestro fauore, Vestraque benevolentia adesse mihi dicenti, excitare deiectionem, vacillantem Firmare, & in viam reuocare a

tra-



tramite forsan aberrantem velitis; id vero est, quod
omni, qua par est, mentis submissione, reuerentia,
pietate atque obseruantia, oro, rogo, obsecro at-
que contendo.

Quascunque, quibus vel prima saltem literarum
pietatisque rudimenta tractantur, officinas scholarum
nomine insigniri, nisi qui nihil fere norunt, omnes
norunt. Nec vero Vos latere arbitror, AVDITORES,
ad ea potissimum, quibus elegantiorum simul literarum
ipsarumque scientiarum fundamenta struuntur, scholarum
genera, orationis meae limites reuocatos me velle.

Multarum omnino rerum cognitione imbuendas es-
se teneras iuuentutis scholasticae mentes, vel ipsa do-
centium discentiumue nomina suadent: & nullum, nisi
vt doctiores emendatioresque recipiat vel filios vel alumnos
praceptoribus formandos tradere puto. Non igitur
est, quod pluribus euincendae huius rei necessitati in-
sistam. E re tamen fore existimo, vt, quibus potissi-
mum rebus exercendi a pueris literarum cultores sint,
paucis ostendam. Ex scopo vero, cui obtinendo
scholae constitutae sunt, diiudicandum hoc fore nemo
non videt.

Sanctioris Spiritus, scholas insigniunt, officinas;
reipublicae seminaria dicunt. Iis igitur imbuendae rebus
erunt iuuenum mentes, quibus ad ecclesiae aequae ac rei-
publicae vtilem aliquando operam nauandam idonei fiant.
Qui vero vel ad animi vel corporis alterius salutem stre-
nue sincereque curandam excitari adolescentum poterunt
animi atque compelli; nisi iis, quae vel ab omni ho-
minum animaduersione remotos, vel inclinent, vel coer-
ceant, principiis instruantur.

PIETATE itaque prius nihil, nihil antiquius do-
ctoribus esse decet. Haec iuuenum mentibus vt quam
maturissime sese insinuet, omni cura omnique conatu
nunquam non annitantur.

PIETATEM dico, non fucatam illam atque suppo-
sititiam



fititiam, quæ rigidioris aduersus Deum religionis speciem falso mentitur: sed veram, sed genuinam, sed suis sibi rationibus constantem, sed intimis animi recessibus alte immiffam. Hanc inquam exponere, hanc commendare, hanc præire denique discipulis pietatem nunquam desistant.

Innatus quasi quidam pueris solet esse sciendi quæuis videndique pruritus. Sapienter hoc ad ipsorum commodum abuti sciant doctores: in auxilium tamen diuino Spiritu nunquam non aduocato, cuius quidem dona in sanctiori iam lauacro infantibus exhibita norunt. Ad obuias quascunque res attendere cum cura animum iubeant. Indolem cuiusuis, usum, & arctissimum, qui huic cum aliis intercedit, nexum exponant. Summum, hinc, eumque sapientissimum æque ac benignissimum auctorem cognoscere doceant. Singularem variamque rerum creaturarum præstantiam commonstrantes, immensam ipsius harum omnium architecti excellentiam ad stuporem vsque inculcent. Nostram è contrario & tenuitatem, & peruersam corruptamque indolem ostendentes omnem cristas forte erigentis animi reprimunt tumorem.

Feruens inde & optimum rerum omnium fatorem propius cognoscendi & in gratiam cum eo redeundi desiderium excitent. Lætum porro iis afferant nuntium tanta erga nos summum numen benignitate fuisse, vt & elarius se ipsum cognoscendum præbere, & certissimam recuperandæ salutis, tam pandere ipse, quam aperire nobis omnibus viam dignatus sit.

Ad ipsa eos tunc sacrarum tabularum penetralia intrommittentes, mox enarranda varia historiarum serie mentem demulceant, mox dogmatum diuinorum declaratione intellectum illustrent. Immensum præcipue diuinæ, quæ in Christo patuit, benignitatis cumulum ante oculos ponant: Ceteris simul, quæ in nos vel producidos, vel seruandos colendosque, siue contulit, siue etiam



etiam nunc confert, beneficiis in memoriam reuocatis.

Quæ quidem omnia si rite commonstrentur ac inculcentur, eoque, quo par est, animo perpendantur, fieri profecto vix potest, quin singularis erga tantum tamque benignum conditorem, sospitorem ac ductorem amor æque ac reuerentia permeet mentes atque incendat.

Hic itaque quæcunque vel Deo omnis boni fonti atque statore, vel aliis recuperatæ salutis focis, vel nobis denique ipsis debemus officia exponendi locus commodissimus relinquetur. Hic submississimam erga tantum numen reuerentiam; hic tenerrimum, in longe beneficentissimum parentem, anorem inculcent; hic omnem in eo spem fiduciamque collocandam, hic ardentissimas ad eum preces fundendas; hic cultum ei debitum exsoluendum iniungant. Fratrum porro dilectissimorum instar alios amplecti, æquo semper iure omnes mactare; castitate denique & temperantia corpus, sanctitate animum sartum doceant seruare tectumque.

Quæ tamen singula ita fiant necesse est, vt, pro tenero tenellæ iuuentutis captu, & strictim, primum, & dilucide fiant. Augescentibus vero postea, cum annis, ingenii viribus, eadem hæc dogmata vberius indies diducantur fortiusque stabiliantur.

Id saltem sedulo caueant præceptores, ne vel pietatis acrius accendendæ vel subleuandæ infirmitatis puerilis prætextu, impuriore forte quasdam superstitionis faeces suis propinent. Dicit certe, AVDITORES, vix potest, quantam piæ istius modi fraudes, piæ quidem satis incongrue, ne dicam impie, dictæ; quantam inquam ipsi tandem religioni sacratissimæ afferant cladem. Si enim, maturiori paululum ætate, anilium fabularum vel vnam alteramue affectam callide veritati iuuenes deprehendant; cetera quoque, nisi omnia omnino, quam plurima certe doctrinæ christinæ

capi-



capita eiusdem plane furfuris esse facillime suspicantur.

Vtilem vero, quis vel ecclesiæ, vel reipublicæ, præstare operam possit, nisi qui scientiis variis artibusque instructus? Alacri itaque iam porro studio ad varia DISCIPLINARVM genera progrediendum.

Initium hic vulgo a linguarum comparanda notitia fieri solet. Neque vero est, quod hic vel temere, vel maximopere notem. Nec propria efferre, nec aliorum pernoscere, sine certis verborum signis, possumus, cogitata. Definitum quendam vocum siue nexum siue apparatus, linguam, vel, si maus, dialectum vocamus. Variis vero linguarum obvolucris cum reposita egregia sint sapientiæ monumenta; his quoque præcipuam in scholis operam nauandam luculenter satis apparet. Nec enim cum Romanis colloqui, nec Græcos audire, nec, quæ vel sua, vel politiorum gentium dialecto Hebræi exceperunt ipsius summi numinis oracula intueri licebit; romanam nisi, nisi græcam, nisi hebræam tibi linguas familiares reddere mature coneris.

Duo tamen in ea, quæ recepta multis est, methodo desiderari haud immerito mihi videntur. Alterum, ne meræ saltem voces, minime a pueris intellectæ violenter memoriæ infigantur, sed distinctæ simul, quantum quidem fieri potest, ipsarum rerum notiones animis instillentur. Alterum, ne per studium linguis exteris, suo quidem ceteroquin iure ac merito, consecratum, omnis omnino vernaculæ cura penitus negligatur. Turpe sane, in alienis vitia fugere, in propria impudenter æque ac inscite committere.

Ad ipsos tum SCIENTIARVM thesauros aperiendum aditum esse, omnes credo, AVDITORES, largituri mihi facile estis.

PHILOSOPHIÆ prima rudimenta in scholis minime negligenda, æquus harum rerum existimator nullus non videt. Philosophiam nempe laudo, nec aliorum arbitrio seruam, nec vero nimis liberam sibi que
foli



30
soli sapientem, & vel ipsis diuinioribus oraculis temere
insultantem, sed suis & rationibus sibi constantem, &
limitibus se continentem, & ad sanctiora dogmata in-
quirenda accuratius, promptius euoluenda, colendaque
reuerentius viam sternentem. Hanc inquam ita docto-
res auditoribus interpretentur, vt animi primum rite vti
viribus docti, & se ipsos & alios aliaue, & uniuersam
rerum omnium seriem sedulo contemplari, & ex
præstantissimo opere conditorem longe præstantiorem
cum colligere, tum noscere, vel discant, vel certe
discere inchoent; vt, quid, vel verum inter atque
falsum, quid bonum inter atque malum intercedat
discrimen, genuinæ hominum felicitati quid obsit,
quidue conducat, dignoscere probe valeant atque di-
iudicare.

Lucem veritatis, vitæ magistram, qui HISTO-
RIAM salutandam putarunt, minime mihi quidem falsi
videntur. Haec certe, nullis non regulis fortior
cum ad virtutem persequendam, tum vitia fugienda
ipsis rerum euentuumque exemplis inuitat. Hæc Græ-
ciam, hæc Romam, hæc innumeras ferme ciuitates ac
regiones, hæc ipsam selectissimam ex gentibus supre-
mi numinis gentem sapientia, labore, virtute, pieta-
te ortas, succrescentes indies ac augescentes, inertia
contra, stoliditate, vitiis, impietate decrescentes, sub-
actas, imo penitus collapsas ostendit. Hæc alienis sa-
pere ictibus, hæc magnis feliciter perpetratis, ad ma-
iora strenue capeßenda allici conamina docet. Quid
itaque rectius, quid puerorum iuuenumue siue captui
siue commodo accommodatius fieri possit, quam si e-
narranda, quæ innata sibi iam omnes amoenitate affi-
cit rerum gestarum notitia instruere non minus adolescen-
tes quam delectare conemur.

GEOGRAPHIAM æque ac CHRONOLOGIAM,
quas non illustrandæ saltem historicæ veritati adesse, sed
relegendæ facem quoque sæpius præferre oportet, si
sicco quasi pede tacitus transilirem nimis me omnes osci-
tan-



tantia iure damnarent. Quis quæso veram, vel quæ gestæ olim sunt, vel quæ iam geruntur, rerum faciem accurate ordineque concipere animo queat, nisi qui, qua potissimum ætate, quoque forte loco singula contigerint contingantque cognitum satis habeat atque perspectum.

Hos adeo vel comites, vel, si ita loqui fas est, hodegos historiae commentandæ aut adiungere, aut, si mauis, præmittere, nemo non, opinor, consultum admodum atque proficuum iudicabit.

Vt vero, quæ ipsi perceperunt, aliis iterum in-
finuare valeant literarum cultores; ORATORIAE quoque artis elementa cum acutioribus certe superiorum ordinum discipulis iure meritoque communicantur. Oratores equidem exercitatos in scholastico iamiam puluere sistere velle, non nisi in rarissimis ingeniis possibile; in plerisque temerarium duco. E re tamen utique erit, ut, non dictionis saltem puritatem nitoremque sectari, sed ipsius quoque persuadendi artis & indolem noscere & tentamina moliri iuuenes discant.

Poëtas ægre omnino, nisi nati sint, fieri noui, Nulli tamen elegantioris literaturæ studio POESIN, gratam & Deo & hominibus artem, negligendam penitus censeo.

Nonnihil potius, quantum quidem, vel per naturæ vel præcipui laboris indolem fieri potest; nonnihil, inquam, hisce quoque deliciis immorandum: ut, si quidquam ipse valeas, reliquis tuis studiis coronam quasi ornatumque inponas, sin vero minus, de aliorum certe cantibus æquum curatumque ferre iudicium possis.

Hem nimium quantum! inquis, tantus cur rerum cumulus aceruatur? Nonne sua ipse corruet mole? Stadia nonne studiis obstaculo erunt? Annon pietati saltem tot tamque varia literarum genera obicem certissimum ponent? Ita sane, ni fallor, multis videtur. Ego vero, si quid video, periculi damnique, si rites agantur, video nihil.

Laboris equidem, quantum satis est, doctoribus scho-

scho-



scholasticis commendatum nemo non videt, Atque id ipsum est, quod eo prudentiores probosque viros inducit, vt nec infimæ fortis homines laboribus hisce admoueant, nec, qui acriter fideliterque in amplissimo hocce campo defudant. abiectissimo vel nullo plane loco habendos existiment.

Neque verò illa tam multa, tamque varia, vt quidem videntur, ita sunt comparata, vt obicem sibi iuicem ponant. Artissimo potius inter se vinculo iuncta amicissimas sibi iuicem suppetias ferunt. Quem quidem coniunctissimum scientiarum omnium nexum, cum pro rei dignitate exponere huius loci non sit, in memoriam saltem Vobis, AVDITORES, reuocasse, opinor, suffecerit. In unico tantummodo, eoque grauissimi momenti capite eundem innuere mihi liceat rogo.

Historiam, Geographiam, omnesque, quæ esse possunt, ingenuas artes in Philosophia, hancque ipsam cum reliquis in eloquentia poësique exornanda conspirare rite dudum viris doctis est obseruatum. Sed maiori hoc, nisi me omnia fallunt, iure, de sanctiori disciplina, &, quam hæc postulat, vera in Deum pietate afferri potest.

Nulla ferme est tam trita, nulla vero iterum adeo sublimis scientia, quæ in explicandis illustrandisque diuinarum literarum monumentis non qualemcunque præstare operam possit. Quid? quod nec ullum temere, vel Philologia dogma exponit, vel Historia factum enarrat, vel Geographia solum ostendit, quod non aliquam, vel commendandi virtutem, vel a vitis reuocandi præbeat ansam. Eloquentiam æque ac poëticam artem plurimum obtinendo fini huic sanctissimo & contulisse, & conferre posse, vel ipsa meridiana luce clarius omnibus patet.

At nec illa tandem omnia, quæ hæctenus inculco, satis mihi iam superque esse videntur. Vnum porro postulo; ELEGANTIAM MORVM.

Prono iam hæc aluo ex pietatis literarumque fonte deriuaretur; si quidem, quæ illuc spectant, siue monita, siue exempla, iuuenum semper animis firma satis hærent. Summum nempe rerum omnium moderatorem, si, qua par est, mentis reuerentia quis veneretur;



si, quo deest, in alios amoris, honoris ac obsequii sit affectu; fieri certe non potest, quin, quæ vel sanctissimum lædere numen, vel hominibus creare molestiam possint, gestibus quoque, dictis totoque cultu euitare omni studio annitantur. Nec humaniores, quas dicunt, literæ inhumanum facile assiduam earundem cultorem relinquunt. Verissimum certe, ut tritissimum:

- INGENVAS didicisse FIDELITER artes

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Verum enim vero, cum nimia sit lubricæ istius ætatis varietas, quam ut, quid deceat, quidue dedebeat, quid gratum quidue odiosum sit, iusta secum semper iuuenes ponderent lance; id quoque negotii præceptores sibi datum existiment, ut externi etiam discipulorum habitus curam minime superficialiam gerant, & ne, vel muliebrem nimis sectentur nitorem, vel inurbanæ sese dent rusticitati, data quavis occasione caueant, hortentur, inculcent.

Videtis, credo, iam AVDITORES, quasnam cum eo, quod, per aliquod iam tempus tentatum, solenni nunc demum ritu aggredior, munere demandatas mihi partes existimem. Quæ quidem omnia quo usque affectus sim, Vestro iam, AVDITORES, relictum iudicio volo. Meum est, ut, quæ prætermitti sine crimine nequeunt, pro virili exsoluam.

Supplex TE ante omnia veneror, o Summe rerum omnium auctor, moderator, seruator! Vel nolentem aliquando me tua fata, hoc est consilium sanctissimum regimenque traxerunt; ita vero semper traxerunt, ut benignissimum me sapientissimumque duxisse parentem nunquam non sim expertus. Grates itaque, cum agere, ne dicam referre, quantum satis est, nequeam, habeo, pro immensa tua in me benignitate, immensas. Idem vero, ut in laboribus, quos tuo ipsius nutu, satis mihi quidem perspecto, suscepi, tua mihi gratia, spiritu tuo, tua tutela adesse nunquam non digneris, omnibus, quibus possum, precibus votisque contendo.

Danorum porro potentissimi REGIS vere CHRISTIANI, Domini mei longe clementissimi, cui fidem iam submississimam obsequiumque deuoui, totum me iterum iterumque seruitiis trado, consecro, lito. Non enim nisi hoc, at vero ne hoc quidem, nisi Deus adsit, pro summa EIUS in me clementia referre, in meis positum viribus video. Ad sacram itaque tantummodo precationum ancoram confugiendum perspicio. Supremus ille regnorum statore atque defensor omnes, quæ in eius gloriam regni que salutem amplificandam REX pietissimus molitur conatus, sua ipse immensa sapientia dirigat, potentia suffulciat, benignitate secundet! Tutam ab aduersis sanctissimam REGIS personam

nam; incolumem REGINAM, præstantissimam CONIVGEM; flo-
rentem spem patriæ SERENISSIMAM PROLEM, omnemque adeo
STIRPEM REGIAM vigentem semper præstet atque conseruet!

Vos autem, MAECENATES atque PATRONI grauiissimi, quos
vel regionem patriam vel ciuitatem auctoritate Vestra Vestraque sa-
pientia moderantes veneror, colo; VOS inquam, qua potissimum de-
uinctæ mentis reuerentia prosequar, dubius certe animus hæret. Vi-
demini mihi unitis quasi viribus in id incubuisse, ne, quod ægre a me fa-
ctum olim esse ingenue fateor, suauissimam Lipsiam cum patria dulcis-
sime me permutasse poeniteat. Solo enim Vestro & in Scholam & in
me propenso animo ducti, tradendæ huius mihi spartæ suafores augu-
stissimo REGI auctoresque fuistis. Pergite iam quæso, Viri Summi,
pergite quæso; at vero, non iam rogo amplius; confido: pergetis por-
ro eodem, & in curandam tuendamque Vestris vigiliis scholam, & in
me auctoritate Vestra, Vestraque gratia suffulciendum, animo esse.
Ego vero, cum, quam VOBIS me obstrictum arbitrer, nulla re alia testifi-
cari luculentius valeam; omnem ego diuinis quidem adiutus auxiliis
lapidem mouebo, ut & in mandato mihi munere fidem VOBIS meam
atque industriam, & ubiuis obsequium debitum atque obseruantiam pro-
bem. Deum simul optimum maximum vt incolumem VOBIS ipsis sa-
lutem; perpetuum splendidissimis honoratissimisque FAMILIIS florem;
felicissimumque cunctis, quæ in rei sacræ pariter & publicæ commodum,
& capitis & perficitis, consiliis, successum largiatur, supplex oro, pre-
cor, obtestor.

TU unus ex omnibus, & ab omnibus quod spero, gratia facta, sin-
gulari, quæ filium decet, deuinctissimæ mentis pietate compellendus mi-
hi es, PARENS venerande atque indulgentissime. Tuis potissimum,
Matris quidem amantissimæ propensione solertiaque suffultis consiliis,
Tuis curis, Tuis denique precibus debeo, quod, cum pietatis præsertim
ingenuæ, tum literarum quoque, sanctiorum æque ac elegantiorum pa-
rissima femina a teneris usque menti meæ insperæ, & magis indies ma-
gisque, adscito optimorum præceptorum fautorumque auxilio, excitata,
eo tandem succreuerint, ut, quæ me ipsum olim aluit, patriæ scholæ Tu-
is nunc auspiciis inferuendi, si facultas, quod quidem probe noui, satis
exigua, conatus certe adsit amplissimus. Deum Tibi pro tantis in me
collatis beneficiis sisto sponsorem: Hic mentis Tibi acumen, hic cor-
poris firmitatem sartam diu seruet tectamque! Hic sanctis Tuis adsit la-
boribus ac benedicat! Hic vitam perennet; & prolixiorem Tua fiducia,
similem tuorum, &, qui Te pariter amant, multorum, votis, & æta-
tem, & salutem & prosperitatem Tibi concedat! Tuum porro animum,
Tua consilia, Tuæque ad summum, pro me, numen suspiria semper mihi
fore



fore reclusa certo certius spero. Me vero, ab eo, quem Tibi debeo, amore, cultu, obsequio, nunquam recessurum, persuasus sis, rogo.

Non sine singulari lætæ additæque mentis affectu Vos mihi salutandi iam estis, Viri, Præclarissime, Clarissimi, Doctissimi, Nobilissimi, COLLEGAE omni honoris cultu atque obseruantia prosequendi. Collegas sane hilarus iam inclamo, quos vel præceptores olim fidelissimos solertissimosque, vel commilitonem suauissimum, vel denique fautorem præcipuum amicumque coniunctissimum dudum expertus sum. Deum precor, vt in scholæ, vt in Vestrorum, ut in meum denique commodum fulcimenque Vos quam diutissime seruet, ac integris animi corporisque viribus perpetuo maectet. Vestrum, quem hucusque mihi omnes declaratis fauorem, remissurum nunquam fore certissimus spero. Me quidem ad amandos Vos omnes, colendos, imitandos promptum semper paratumque futurum credatis.

Neque vero Vos silentio premendi mihi estis, ceteri Vos omnes, AVDI-TORES O. O. H. Grates potius, quas possum mente concipere maximas Vobis persoluo, quod precibus Vos quoque meis annuere, Vestraque præsentia splendidiora hæc selemnia reddere non sitis grauati. Seruate hunc scholæ, seruate mihi fauorem. Id sedulo agam, ne in ingratum hoc a Vobis collatum beneficium videatur. Summum numen, ut Vos Vestrasque domos omnis generis felicitate frui inbeat, rogo.

Vestrum est, Carissimi mihi filii, vt eandem, quam ego mihi posui, vos vobis quoque metam ponatis, & vnito mecum indefessoque semper prosequamini cursu. Nolite sine vos omnes, testes enim vos omnes confidentior prouoco, nolite, inquam, vos omnes, per omne quo nobiscum inuicem suimus interuallum maximæ id mihi semper curæ fuisse, vt & animis pietatem, & doctrinam ingenis & moribus elegantiam non affingerem, sed insinuarem fnditus firmiterque infingerem. Nolite igitur; per Deum vos perque vestram ipsorummet obtestor salutem; nolite quæso unquam committere, vt vel Deo vel hominibus collatam frustra in vos fidem atque industriam plangere cogar. Concedite potius, concedite adeo mihi esse felici, vt reipublicæ vos olim, ut ecclesiæ idonea conspiciere membra, & quæ summa votorum, vt celsissimo rerum omnium exquisitori nouissima luce sistere vos omnes, o vtinam vos omnes! lætissimus possim.

Hoc agite, hoc meditamini, hoc vt procedat indefessis mecum a supremo numine contendite votis. Hoc mihi, hoc vestris, hoc patriæ, hoc bonis omnibus, hoc denique Deo, hoc vero maxime vobis ipsis tam gratum tamque exoptatum, quam quod gratissimum, exoptatissimum facietis.

